DE MISSIONE Spirituſſancti libellus per Henricum Luytenium Theologiæ Baccalaurium, & Eccleſiæ Metropolitanæ Mechlinienſis canonicum, in lucem editus.



ANTVERPIÆ,
Apud Antonium Tilēnum.
M. D. LXV.
CVM PRIVILEGIO.

CLARISSIMO VIRO Domino Ioanni à Bergis, Equiti Aurato, Domino VVaterdijck, & magni conſilij Mechliniæ præſidenti vigilantiſsimo, Henricus Luytenius Salutem dicit.

QVod tu mihi, vir generoſiſsime, in dubijs meis negocijs adeò diligenter & ſolicitè conſilio tuo ſemper ſubueneris, cùm nihil tamen vnquam commodi à me receperis, nec aliqua in re mihi deuinctus ſis, ſupra quàm dici poſsit miratus ſum, animaduertẽs raram illam tuam & pietatem & humanitatem, quibus non ſolùm diuitibus, verumetiam à quibus nihil commodi expectas pauperibus auxilio eſſe conſueuiſti, omnibus æquè paratus, nemini, nec te, nec tuam operam denegans, adeò vt ego nunquam tuam intrauerim domum, quin te mihi adiunxeris & bona tua inſtructione ſemper mihi ſuccurreris, etiamſi magnis et arduis, quibus plerunque occuparis, detentus eſſes negocijs. Quapropter, quamuis nunquam tuis reſpondere poſsim meritis, nec à te acceptis par eſſe beneficijs: tamen tibi, vel animi mei erga te candorẽ oſtendere libuit. quod vt facerem, ſæpè mecum animo tractaui, volui, atque reuolui, quam viciſsim tibi gra

tiam referre poſſem. Tādem omnibus perpenſis mihi viſum eſt, quod nihil tibi foret gratius, acceptius nihil, quàm quod et Dei honorem & proximi inſtructionem concerneret: cùm in tuis negocijs omnibus, nec fluxa nec caduca huius ſeculi bona ſpectes, ſed quomodo vnicuique & conſilio & auxilio ad honorem Dei prodeſſe poſsis, curam quā maximam ducas. Verū hæc non dico, vt egregias tuas virtutes, quas ob raram humilitatem magis celari quàm propalari deſideras, deprædicem: ſed vt alios ad ſimilia opera peragenda extimulem atque inflāmem. Quia igitur hominibus nihil eſt neceſſarium magis auxilio & inſtructione Spirituſſancti, qui nos omnem docet veritatem, & ad æternā dirigit ſalutem; idcircò gratia Dei adiutus verba illa Actorum .2. de miſsione Spirituſſancti tractantia pro viribus ſum interpretatus, vt prædicatores omnes myſteria illius textus intelligerent, & quibus potiſsimùm rebus in nobis paretur Spirituiſancto locus, animaduerterent. Quapropter hic libellus de miſsione Spirituſſancti intitulatus, quia omnibus erit ad inſtructionem commodus, tibi, vt opinor, valde erit acceptus. vnde eum tibi vir humaniſsime dedico: & plura, ſi vita comes fuerit, in tui gratiam in vulgus dabo. Vale. Datum Mechliniæ ſeptimo Idus Decembres, Anno à Chriſto nato, M. D. LXIIII.

ENARRATIONIS
Epiſtolæ, feſti Pentecoſtes,
CAPVT PRIMVM.

EPISTOLA hæc deſcribitur nobis Actorum ſecundo. A, & continet hiſtoriam, qua hodiernum feſtum, ceu fundamento nititur: & ob id eam explicabimus.

IN diebus illis, cùm complerentur dies Pentecoſtes.] Vbi Græcus textus ſic habet: Καὶ ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὴν ἡμέραν τῆς πεντηκοστῆς: hoc eſt, Et cùm compleretur dies Pentecoſtes. Eſt enim dies numeri ſingularis. Quapropter compleretur legendum eſt. Et eſt ſermo de die quinquageſimo à reſurrectione Chriſti: & de vltima die ex quinquaginta. Nam Græci numeratis diebus quinquaginta à reſurrectione Chriſti vocant diem hanc pentecoſten, id eſt, quinquageſimam. Hebræi verò vocant feſtum hebdomadarum, ex hebdomadibus ſeptem: vt manifeſtum eſt Deuteronomij decimoſexto. B. Hæ autem hebdomadæ numerandæ erant, non à Paſchali Iudæorum ſolennitate quæ ſemper incepit veſpere feria quinta, luna quarta decima, nec etiam à ſabbato Iudæorum, ſed ab altero die ſabbati, id eſt, à die dominico: vt manifeſtiſſimum eſt Leuitici. xxiij. C. nam ibi ſic habetur: numerabitis ergo ab altero die ſabbati, in quo obtuliſtis manipulũ primitiarum, ſeptem hebdomadas plenas vſque ad alteram diem expletionis hebdomadę ſeptimæ, ſcilicet incluſiuè. nam ſeptem hebdomadæ plenæ ſolùm continent quadraginta nouem dies: ideò his hebdomadibus ſeptem adiungebatur dies ſequens expletionem hebdomadæ ſeptimæ, qui omnes ſimul faciebãt quinquaginta dies. Ecce quomodo per quinquaginta dies numerare debebant, non quidem cõputando à paſchali Iudæorum ſolennitate, nec ab eorum ſabbato: ſed ab altero die ſabbati, ſcilicet die dominico, vſque ad alteram diem expletionis hebdomadæ ſeptimæ, qui rurſus erat dies dominicus. Vnde manifeſtum eſt, quod feſtum Pentecoſtes à princi-

pio ſuæ inſtitutionis ſemper celebratum eſt die dominico. Quod vtique non temerè à Deo ordinatum ſic eſt propter futuram illam dominicæ diei ſanctificationem. Quamuis igitur feſtum Pentecoſtes celebraretur à Iudæis ad recolendum beneficium datæ legis, tamen non eodem die celebrabatur, quo lex data erat. Nam lex data erat quinquaginta diebus ab occiſo agno: feſtum autem Pentecoſtes celebrabatur, non facta computatione ab occiſo agno, ſed à die dominico ſequenti. Ex quibus omnibus colligitur à ſcopo veritatis aberraſſe eos, qui dixerunt & in ſuis ſcriptis reliquerunt feſtum Pentecoſtes à Iudæis ſemper celebrari cœptum, feria quinta ad veſperam. Et ob id hiſtoriam hanc hîc à Luca nobis deſcriptam, quia completa & peracta eſt quinquageſimo die poſt reſurrectionem Chriſti, non contigiſſe ipſo die Pentecoſtes Iudæorum, ſed vno aut altero die poſtea. Nam hoc falſum eſſe manifeſtum eſt ex Leuitico capite.xxiij. C. nam ex eo loco certiſſimum eſt feſtum Pentecoſtes ſemper à primæua ſua inſtitutione celebratum eſſe die dominico, quo die etiam Spirituſſanctus diſcipulis datus eſt.

Quare apud Iudæos in veteri teſtamento fuit paſchalis ſolennitas, fuit & ſolennitas Pentecoſtes, ſicut nunc apud Chriſtianos. Veruntamen non cauſis eiſdem. Siquidem apud Iudæos paſchalis ſolennitas agebatur in commemorationem liberationis filiorum Iſrael ab Aegypto, hoc eſt, à ſeruitute Pharaonis regis Aegypti. Solennitas autem Pentecoſtes in commemorationem dationis ac ſuſceptionis legis antiquæ. Verùm apud Chriſtianos celebratur paſchalis ſolennitas in honorem reſurrectionis Domini noſtri Ieſu Chriſti. Quinquageſimo quoque die à ſolennitate paſchali agitur ſolennitas Pentecoſtes in commemorationem miſſionis Spirituſſancti, & in honorem paracleti. Quapropter ſicut Hebræo quondam populo ab Aegyptijs liberato, quinquageſimo die poſt immolationem agni lex data eſt in monte Sinai: ita quinquageſimo à reſurrectionis eius die in Apoſtolos, plebemque credentium Spirituſſanctus illapſus eſt, vt facilè diligens Chriſtianus agnoſcat initia veteris teſtamenti Euangelicis miniſtraſſe principijs. Siquidem ſolennitatis hodiernæ origo, fuit legis Moſaicæ traditio, quam quidem traditionem Dominus Deus populo Iſraeli iſtac ſolennitate duxit quotannis repreſen-

preſentandam, ne qua eius vnquam populo ipſi obliuio obreperet. Idcircò & nos noſtram obſeruamus Pentecoſtem, vt ſemper beneficij in nos collati, quo nobis Spirituſſanctus datus eſt, memores ſimus: vt altiſſimo propter illud gratias agamus. Vt igitur ad noſtrum textum reuertamur: Per Pentecoſten intelligimus quinquageſimam diem à reſurrectione Chriſti, qui dies etiam erat feſtus apud Iudæos, & in ſummo honore. nam oportebat feſti tempore rurſus hæc fieri, vt qui cruci adfuerant Chriſti, iidem hæc quoque ſpectarent.

Verùm cùm apud Græcos dies ſit numeri ſingularis, miraberis fortaſſis dici, dum compleretur dies, eò quòd dici debuiſſet, dum inciperet dies. nam in matutino tempore illius diei res geſta deſcribitur. Scias itaque quòd apud Hebræos, dies incipiebat à prima noctis hora, quæ eſt apud nos veſpertino tempore hora ſexta, & ideò res geſta mane hora tertia, hoc eſt, hora nona apud nos, rectè deſcribitur, dum compleretur dies: quoniam diuiſo die apud Hebræos in duas partes, (videlicet à veſpera vſque mane, & à mane vſque ad veſperam) ſecunda diei pars iam tertiam agebat horam. Quamobrem non incipiebat, ſed complebatur tunc dies ille. Quare bene dicitur, dum compleretur dies Pentecoſtes. Sequitur. [erant omnes pariter in eodem loco.] Omnes, ſcilicet diſcipuli, qui erant numero centum & viginti, quorum ſuperiori capite, C, meminit Lucas, dicens: In diebus his exurgens Petrus in medio fratrum dixit. (Erat autem turba hominum ſimul, ferè centum viginti) viri fratres, &c. hinc putant doctores ſancti in feſto Pentecoſtes immediatè ſequente etiam fuiſſe congregatos centum viginti.

Hi autem erant pariter,] pro vnanimiter. nam vocabulũ ὁμοθυμαδὸν in Græco textu hic poſitum ſignificat vnanimiter, vt hinc diſpoſitionem eorum ad recipiendum ſpiritum ſanctum intelligamus. Græcus enim textus ſic habet, ἦσαν ἅπαντες ὁμοθυμαδὸν ἐπὶ τὸ αὐτό, hoc eſt, erant omnes vnanimiter in eodem loco.

Erant autẽ omnes vnanimes per eandem fidem, per eandem ſpem, & per eandẽ charitatem. Hoc autẽ conſydera, Cùm inſtant deprecationi, quũ charitatẽ inter ſe habent, tum aduenit Spirituſſanctus. Vbi autem pectus eſt diſſidijs, odijs, ac rixis tumultuoſum, Ibi non eſt locus Spiritui ſancto, ſed in pace &

concordia eſt locus eius. Hinc apparet, quomodo diſpoſiti eſſe debeamus, vt requieſcat ſuper nos ſpiritus Domini. Habenda eſt enim vnitas in mutua dilectione, & pace: ſicut hic Apoſtoli leguntur habuiſſe, nam erant vnanimes & multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna, vt habemus Actorum quarto. Præterea nos exemplo eorum concordiæ operam dare debemus, quia concordia res paruæ creſcunt, diſcordia etiam maximæ dilabuntur.

Rurſus [erant vnanimiter] ſcilicet perſeuerantes in oratione, nam quid ibi fecerint, dum eſſent vnanimiter in eodẽ loco, hoc præcedit Actorum primo, C, vbi ſic habetur: Tunc reuerſi ſunt Hieroſolymam à monte, qui vocatur Olìueti, qui eſt iuxta Hieruſalem, ſabbati habens iter. Et cùm introiſſent, in cenaculum aſcenderunt, vbi manebat Petrus, & Ioannes & Iacobus, & Andreas: Philippus & Thomas: Bartholomęus & Matthęus: Iacobus Alphæi & Simon Zelotes: & Iudas Iacobi. Hi omnes erant perſeuerantes vnanimiter in oratione, cum mulieribus & Maria matre Ieſu, & fratribus eius. Ecce hæc eorum oratio fuit aſſidua, quia durauit, (vt apparet ex textu) à feſto Aſcenſionis vſque ad Pentecoſten. Vnde manifeſtum eſt, quanto animi deſyderio expectauerint promiſſum Spiritumſanctum: nam ex ea hora, qua Chriſtus in cęlum aſcendit, vnà omnes manebant: nullus ſe ſe iungebat, ne non acciperet quod promiſſum erat. Quemadmodum anteà in reſurrectione Chriſti Thomæ vſu venerat. nullus ſe alijs negocijs implicabat, ſed omnes corde & animo erecti erant in cœlum in decimum vſque diem, omni hora & momento expectantes tempus, quo Chriſtus pręclarũ ſuum promiſſum exhiberet. nihil autem ipſos interea exercuiſſe credere par eſt præter orationes & ſuſpiria. Id quod manifeſtum indicium præbet eos omnes ſummum adhibuiſſe ſtudium, vt talibus nouis ac priùs inauditis donis Dei digni & capaces fierẽt. Quod & nobis faciendum eſt, nec immeritò. Quid enim homini Chriſtiano vtilius gratia Spirituſſancti? Quid omnibus nobis in tantis errorũ tenebris neceſſarium magis, quàm cognitio veritatis? Quid nobis in tot afflictionibus, quas vltimis hiſce temporibus quotidie experimur, tam neceſſarium quàm cordis noſtri conſolatio? Hæc tamen Spirituſſancti dona non habebimus, niſi orauerimus, & cor ſurſum ad Dominum

num

num habuerimus. nam vbi animus eſt humilibus ac ſordidis curis occupatus, ibi non habet ſedem Spiritusſanctus. Porrò quàm potens ſit oratio, iam accipite. In bello quod geſſerunt filij Iſrael cõtra Amalech, plus præſtitit Moyſes orãdo, quàm Ioſue pugnando. vt habemus Exodi. 17. Hinc & Iacobi quinto, D, Orate pro inuicem, vt ſaluemini. multum enim valet deprecatio Iuſti aſſidua. Elias homo erat ſimilis nobis paſſibilis: & oratione orauit, vt non plueret ſuper terram, & non pluit annos tres, & menſes ſex. Et rurſum orauit, & cęlum dedit pluuiam, & terra dedit fructum ſuum. Ex quibus facillimè intelligitis quàm ſit potens oratio. Sequitur:

In eodem loco,] id eſt, in cenaculo grandi ſtrato, vbi poſtremò Chriſtus cum eis cenam ſumpſit: In quo loco etiam facta eſt electio Matthiæ. Hoc autem addit Euangeliſta, vt non ſolùm animo, ſed etiam corpore vnitos ſignificaret. Sequitur:

Et factus eſt repentè de cœlo ſonus,] Hic autem ſonus fuit ſupernaturalis, quia ſupernaturaliter eſt productus & à Deo. Erat enim ſonus, atque is de cœlo, vtiq; Dei maieſtatis, atque pręſentiæ, qualis anteà nunquàm auditus: inde veniẽs, quo profectus fuerat Chriſtus, vitam æternam inſpirans animis, robur & alacritatem addens infirmis & puſillis.

Dum autem audis de cœlo, non eſt quod intelligas ſonum illum cauſatum à motibus ſphærarum cęleſtium: nam ſi philoſophorum principi Ariſtoteli, & poſt hunc beato Thomæ credimus, motus cęlorum non cauſant ſonum. Prętereà quando audis de cælo, noli intelligere ſonum illum in cælo inchoatum, ſed quòd ſonus ibi factus eſt, tanquàm ſi de cælo fieret. Vel de cælo factus eſt, id eſt, dę aëre. Aër enim vocatur cælum. Hinc dicimus volucres cæli. Quamuis autem dumtaxat de aëre factus ſit, tamen propter maximum eius impetum de cælo factus dicitur. Dicitur denique factus de cælo, vt oſtendatur opus fuiſſe eius, qui in cælum aſſumptus erat. Sequitur:

tanquàm aduenientis ſpiritus vehemẽtis.] Hoc eſt, tanquàm aduenientis venti violenti: nam ſonus ille fuit ſimilis ſono validi venti: & intellige hæc ad ſenſum apparuiſſe, ita vt ſonus auribus perceptus ſit, & aduenieus ventus etiam tactu ſenſatus ſit. Quamuis igitur ſonus ille fuerit ſupernaturalis, tamen ex parte more naturali eſt factus. nam ferè eo-

 dem

dem modo fiebat, ſicut fit ſonus ex vento vehementi.

Cæterùm hic ſonus quamuis non occupauerit totam Hieroſolymorum vrbem, ſed ſolùm totam domũ, vbi erant diſcipuli Domini ſedentes, tamen tam vehemens erat, vt ab omnibus Hieroſolymã inhabitantibus audiretur: nam vt dictum eſt, propter maximum eius impetum de cælo factus dicitur.

Rogabit quis, Cur tantus fragor, & ſonus factus ſit, quando miſſus eſt Spirituſſanctus? neque enim in hoc ſono Spirituſſanctus datus eſt, ſed in linguis igneis. cur ergo tantus fremitus præceſſit? Dico, vt res hæc etiam reſponderet geſtis veteris legis, in cuius latione ſic factũ eſſe narrat Moyſes Exodi xix. C, dicens: Et ecce cœperunt audiri tonitrua ac micare fulgura & nubes denſiſſima operire montem, clangorque buccinæ vehementius perſtrepebat: & timuit omnis populus qui erat in caſtris. Hinc nimirum decuit, vt etiam venti, ſonitus plurimi, & magnæ commotiones fierent in miſſione Spiritus ſancti: nam ſicut lex perdita eſt in monte Sinai: ita lex ſpiritus in monte Sion. Lex in ſublimi montis loco: Spiritus datur in cenaculo. Vtrobique loci ſublimitas, vtrobique ignis: nam ſicut hîc, ſic & illic in ignis viſione Deus apparuit, dicẽte Exodo: Totus autẽ mons Sinai fumabat, eò quòd deſcendiſſet Dominus ſuper eum in igne. Nihilo minus tamen in ipſa datione legis & gratiæ euidentiſſima apparet veteris & noui Teſtamenti diſtantia: nam ibi deſcẽdit Dominus in montem Sinai in igne: ſed plebem longè ſtãtem tonitruis, fulguribus, clangore buccinæ, & montis fumo territans: legem digito in lapide, non ſpiritu ſuo ſcribebat in corde: vnde & populus à longinquo ſtabat: timor erat, amor non erat. nam vſque adeò timuerunt, vt dicerent ad Moyſen: Loquere tu ad nos, & non ad nos loquatur Dominus, ne moriamur. Hîc autem de cælo quidem ſonus ſubitò factus eſt, & quaſi ferretur flatus vehemens inſonuit, ſed neminem diſcipulorum terruit. Cuius hoc ſignum eſt, quod dabatur eis Spirituſſanctus, qui eſt conſolator cordium: qui quia vehemẽs erat, alacritatem attuliſſe intelligendus eſt, non terrorem. Quam ob rem & omnium animos ad expectationem promiſſi ſpiritus expergefecit, atque ad reuerentialem Dei timorem concuſſit, vt profundiore humiliatione ad Spirituſſancti infuſionem diſponerentur: vnde plebs à longinquo non ſtetit, ſed ad eos Dominus domum intrauit,

crauit,& vnicuique eorum,in ſpecie ignitæ linguæ,inſedit,vt mentes illuminaret,cæleſtiq.facundia linguas ſimplicium locupletaret: vnde deprehendis Dominum non digito in lapide,ſed Spirituſancto ſcribentem in corde. Sequitur.

[& repleuit totam domum,] nimirũ ſonus ille. Hic enim ita vniuerſum illud cenaculum repleuit,vt ab vniuerſis in domo illa ſedentibus,auribus perciperetur. Sed quam rogo domum? nunquid omnes ædes,atque ipſum quoque templum? Haud quaquàm. nam Euangeliſta vnius domus, vbi eccleſia erat,mentionẽ facit. Cæteras ædes magnificas,atria,porticus, denique ipſum tẽplum non nouit Dei ſpiritus omnia replẽs.

Vos itaque, quamuis humiles habeatis caſas & domus inhabitetis luteas, non propterea vobis deerit Spirituſſanctus. nam prædicta hæc domus non propter ſui magnificentiam fuit tota repleta: ſed propter viros,qui ibi erant, religioſos & deuotos. Fortaſſis ſi eam videretis domum, miraremini eius humilitatem. Eſt enim iam inuenire multas, multo magis magnificas. Verùm Dominus humilia reſpicit,& alta à longe cognoſcit.

O igitur felicem illam domum, cui nullam aulam Auguſtorum,atque regum huius terræ rectè contuleris. Verè terribilis locus ille erat,& porta cæli,& domus Dei.Hanc verò domum,ipſam referre intellige eccleſiam: extra quam, etiam ſi ſectæ ſibi mẽtiantur nomẽ cæli,non operatur Spirituſſanctus. *Gen* 28.

Rogabis fortaſſis,qua re ſonus ille totam domum replenerit? Reſpondeo, quòd nebula lucida & inſolita claritate in ſignum ſpecialis diuinæ præſentiæ per gratiam: ſicut in erectione tabernaculi Exodi quadrageſimo,D. poſtquàm omnia perfecta ſunt,operuit nubes tabernaculum teſtimonij,& gloria Domini impleuit illud. Quod & contigit in dedicatione templi Salomonis,tertij Regum,capite octauo,B. nam ibi ſic habetur; Factum eſt autem, cùm exiſſent ſacerdotes de ſanctuario,nebula impleuit domum Domini,& non poterant ſacerdotes ſtare & miniſtrare propter nebulá: impleuerat enim gloria Domini domum Domini. Quod autem hoc contigerit etiam nunc, videtur certo conſtare ex Eſaiæ prophetia,capite 4.vbi ſic habetur: Et creauit Dominus ſuper omnem locum montis Sion,& vbi inuocatus eſt,nubem per diem & fumum,& ſplendorem ignis flammãtis in nocte. Quod autem

dicitur

dicitur creauit pro creabit,nihil obſtat,quia propheta loquitur de futuro per modum præteriti propter certitudinem prophetiæ. Quamobrem columna nubis, quam habebant filij Iſraël per diem, & columna ignis quam habebant per noctem, conducens filios Iſraël, figurabat hodiernam Spiritusſancti effuſionem.

Vel [repleuit totam domum,] ſcilicet virtute ex alto. Iuxta illud Lucæ xxiiij.& vltimo,G, Vos autem ſedete in ciuitate,quoad vſque induamini virtute ex alto. Sequitur:

Vbi erant ſedentes.] id eſt,manentes iuxta præceptũ domini Lucæ xxiiij. G, dicentis: Vos autem ſedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto. Seſſio,indicium eſt humilitatis & ſtabilitatis, quibus rebus præparatur ſedes Spiritui ſancto, qui non niſi ſuper humiles & in virtute ſtabiles permanet & requieſcit.

Enarrationis Epiſtolæ, feſti pentecoſtes, CAPVT SECVNDVM.

ET apparuerunt illis. Quemadmodum fuerunt factæ viſibiles apparitiones diuinarum perſonarum patribus veteris Teſtamenti: ita quoque in nouo Teſtamento apparuerũt viſibiles: ſed quia iam dicendum eſt de Spiritusſancto: Ideò dumtaxat de Spirituſancto agemus. Spiritusſanctus igitur multis modis apparuit viſibilis: multæ enim ſunt formæ, quibus videri ſe paſſus eſt, & videndum præbuit. In ſpecie quidem columbæ apparuit in baptiſmo Chriſti: vt habetur Matthæi 3.D, & Marci primo,B,& Lucæ 3. E, idque ad oſtendendam in Chriſto authoritatem donandi gratiam per ſpiritualem regenerationem: vnde vox patris intonuit,hic eſt Filius meus dilectus, vt ad ſimilitudinem filij vnigeniti, alij quoque regenerarentur. Deinde in ſpecie lucidæ nubis, quando transfiguratus eſt Dominus in monte Thabor, Matthæi 17.A, idque ad oſtendendam doctrinæ in Chriſto exuberantiam: vnde dictum eſt, Ipſum audite: nam ſalutaris ſapientiæ ſuæ doctrinam, & gratiæ & miſericordiæ ſuæ rorem
Deut.32 diffudit inſtar aquæ, Iuxta illud Moyſi, Creſcat vt pluuia doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum. Rurſus in ſpecie flatus, quando inſpirauit Chriſtus in diſcipulos Ioannis xx. dicens:

dicens; Accipite Spiritum ſanctum. Idque ad oſtendendam in diſpenſatione ſacramentorum miniſterij poteſtatem. vnde tunc dictum eſt eis: Quorū remiſeritis peccata, remittuntur eis. Poſtremò in linguis igneis, hodierna die & nunquam anteà. Idque ad oſtendendum officium doctrinæ. Vnde dicitur, quod ceperunt loqui varijs linguis. Ideo enim non in vna tantùm forma apparuit, ſed nunc in columba, nunc in nube, nunc in vento, nunc in linguis igneis, vt vel hinc ad quid miſſus ſit, agnoſceremus.

Verùm hic aduertendum eſt, quòd Spirituſſanctus non apparuit eis viſibilis, quaſi aliquid Spirituſſancti aut videretur, aut videri poſſit, qui ſubſtantia quædam ſumma eſt & ſpiritualis: & corporalibus oculis penitus inuiſibilis. Nihilominus tamen viſibiliter apparuiſſe dicitur, quia creaturæ quædam ad corporalem ſenſum apparuerūt, quæ Spiritumſanctum inuiſibilem adueniſſe ſignificabant, atque ſuis naturalibus proprietatibus effectus quoſdam gratuitos, quos Spirituſſanctus in diſcipulis operatus eſt, figurabant. Vnde non poterāt dicere ſecundum ſermonis proprietatem videntes igneas linguas ſuper Apoſtolorum capita, videmus Spiritumſanctum, ſicut videntes in humanis Chriſtum, videbant verbum patris, ſiue Deum. Quando ergo in ſcriptura ſacra inuenitur viſum eſſe Spiritumſanctum: ſicut Matthæi tertio. D, dicitur quòd Ioannes Baptiſta vidit Spiritum Dei deſcendentem ſicut columbam, & venientem ſuper ipſum: intelligendum eſt ſicut in ſigno videre dicimur ſignatum: vt viſio corporalis ad ſignum terminari intelligatur, ſed viſio intellectualis ad ſignatum. Quapropter magna eſt diuerſitas in nouo Teſtamento apparitionis Filij, ab apparitione Spirituſſancti. Ille enim in humana ſpecie viſus eſt ita, vt etiam humanam ſibi vniuerit naturam in vnitate diuinæ perſonæ, nimirum verus homo factus. non ſic Spirituſſanctus columbæ ſpeciem ſibi vniuit, neque factus eſt columba, vt Chriſtus homo: ſed figuram eius tantùm ſuſcepit, vt ſignum.

Hoc ergo modo apparuit Spirituſſanctus in viſibili forma. nec fuit hoc rarum in primitiua Eccleſia, vt ille ſupra baptizatos viſibilis appareret, vt Actorum Apoſtolorum capite viij. & x. narrat hiſtoria. Videns autem hoc Simon Magus, obtulit Apoſtolis pecuniā, vt & ipſe poteſtatē hanc acquireret,

reret, quatenus ſi cui manus impoſuiſſet, viſibili ſpecie appareret ſuper eum Spirituſſanctus.

Quòd autem Spirituſſanctus frequenter adeò in primitiua Eccleſia apparuit viſibilis, potius quàm nunc, ratio eſt, vt per hunc magna illa & ardua fides, quam Apoſtoli prædicabant, confirmaretur, quod ſine magnis miraculis, quæ etiam omnibus eſſent conſpicua, fieri non poterat.

Sed rogabis, cur huiuſmodi viſibilis apparitio Spirituſſancti in Eccleſia amplius non fit? quia amplius non eſt opus viſibili Spirituſſancti apparitione, vt fides noſtra confirmetur: nam fides noſtra, partim doctrina Apoſtolorum, partim eorundem & martyrum miraculis ſatis confirmata iam eſt. nam ſicuti cùm arbuſta plantamus, tamdiu eis aquam fundimus, quouſque ea in terra iam coaluiſſe videamus, & ſi ſemel radicem fixerint, irrigatio ceſſabit: Ita quoque dum plantaretur Eccleſia, debebat irrigatio fieri per miracula, quouſque eſſet confirmata.

Porrò quamuis & in veteri & in nouo Teſtamento fuerint factę viſibiles diuinarum perſonarũ apparitiones: tamen non niſi in nouo Teſtamento fuerunt viſibiles diuinarum perſonarum miſſiones. nam aliud eſt mitti, aliud verò apparere. Illud mitti dicitur viſibiliter, quod apparet viſibiliter ad deſignandam diuinæ perſonæ in nobis inhabitationem per gratiam: ſed apparere aliquid dicitur ad aliquid aliud manifeſtandum. Et ideo viſibiles apparitiones diuinarum perſonarum factæ patribus veteris Teſtamenti miſſiones viſibiles dici non poſſunt, quia non fuerunt factę, ſecundũ Auguſtinum, ad deſignãdam diuinæ perſonæ inhabitationem in nobis per gratiam, ſed ad aliquid aliud manifeſtandum. Quapropter miſſus eſt Spirituſſanctus in viſibili ſpecie in nouo Teſtamento, quod nunquàm contigit in veteri Teſtamento: nuſquàm enim in ſacris literis inuenies Spiritumſanctum patribus veteris Teſtamenti in aliqua viſibili forma miſſum eſſe. Tunc enim nondum aduenerat plenitudo & perfectio temporis gratiæ: & ob id non decuit Spiritumſanctum tunc mitti in ſigno viſibili. addo & hoc, quod non cõueniebat, vt Spirituſſanctus ante Filium viſibilis mitteretur: quia prius perfici debuit miſſio viſibilis Filij, quàm Spirituſſancti, cùm Spirituſſanctus manifeſtet Filium: ſicut filius Patrem.

Verum

Verum nihilo minus eſt patriarchis & prophetis veteris Teſtamenti, datum eſſe Spiritumſanctum: quia beatus Paulus dicit ad Romanos octauo, B: Si quis ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius. Sed datus eſt eis Spirituſſanctus inuiſibiliter, non autem viſibiliter, nec cum ſigno viſibili, quale ſignum factum eſt in die Paſchæ & in die Pentecoſtes. Cùm ergo dicitur Ioannis ſeptimo, F, nondum enim erat Spiritus datus, quia Ieſus nondum erat glorificatus, intelligimus de illa datione cum ſigno viſibili, qualis facta eſt in feſto Paſchæ & Pentecoſtes, quando Ieſus erat glorificatus.

Quamuis igitur in nouo Teſtamento Spirituſſanctus ſæpè apparuerit viſibilis ante feſtū Paſchæ & Pentecoſtes, vt prius dictum eſt: tamen nunquàm anteà datus eſt alicui ſub viſibili forma, niſi in feſto Paſchæ, & Pentecoſtes. Quòd autem datus ſit viſibiliter Spirituſſanctus Apoſtolis in feſto Paſchę, manifeſtum eſt Ioannis xx, E. vbi dicitur: Hæc cùm dixiſſet Ieſus, inſufflauit & dixit eis, Accipite Spiritumſanctum: ſed viſibiliter emiſit Chriſtus flatum: ergo viſibiliter dabat eis Spiritumſanctum, etiam ante feſtum Pentecoſtes. Et propterea miſſio Spirituſſancti facta in feſto Paſchę, re vera viſibilis fuit.

Rogabis fortaſſis, quæ ergo ſit diuerſitas inter dationem Spirituſſancti in feſto Paſchæ, & inter dationē Spirituſſancti factam in feſto Pentecoſtes? dico hanc eſſe differentiā: quòd Apoſtoli acceperunt in feſto Pentecoſtes Spiritumſanctum in ſua plenitudine: non autem ſic in feſto Paſchæ: nam in feſto Paſchæ acceperūt Spirituſſancti gratiam, qua poſſent peccata dimittere, & baptizare, & filios Dei facere, & Spiritum adoptionis credentibus infundere, Ipſo Saluatore dicente: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Die autem Pentecoſtes eis amplius repromiſſum erat, vt baptizarentur Spirituſancto, & induerētur virtute ex alto: qua roborati, qui prius ad paſſionem eius terrebantur, & Chriſtū ſe neſcire iurabant, iam nec vniuerſo Iudæorum cedunt concilio, nec eorum minis terrentur. Liberè loquuntur ad principes Iudæorum: Obedire magis Deo oportet quàm hominibus. Inter flagella lętantur, ſanguinem ſuum pro Chriſto fundunt, & ſupplicijs ſuis coronantur, mortuos ſuſcitant: & vſque adeò vehementer Spiritu ſancto baptizati ſunt, vt repleretur tota domus vbi erant ſedētes, & ignis Spirituſſancti ſtationem in eis inueniret opta-

tam,

tam,linguaſque diuideret,vt prędicaturi multis gentibus acciperent genera linguarum,vt haberent operationem virtutum,& gratiam ſanitatum. Vnde manifeſtum eſt quòd nullus accepit Spiritum ſanctum viſibiter in ſua plenitudine ante feſtum pentecoſtes.

Rogabis fortaſſis,an ne Chriſtus acceperit Spiritũ S. viſibiliter in ſua plenitudine etiam ante feſtum pentecoſtes? Et videtur quòd ſic:quia Matth.3.d,& Luc.3.c. ſic habetur:Ieſu baptizato & orante apertum eſt cælum, & deſcendit Spiritus S.corporali ſpecie ſicut columba in ipſum. Ergo videtur quòd Chriſtus accepit Spiritum S. viſibiliter in ſua plenitudine ante feſtum pentecoſtes. Dico negandam eſſe conſequentiam:quia Auguſtinus dicit lib.15.de Trinitate, quòd abſurdiſſimum eſt dicere,quòd Chriſtus cùm iam triginta eſſet annorum, acceperit Spiritum S.:ſed venit ad baptiſmum ſicut ſine peccato, ita non ſine Spiritu S. Si enim de Ioanne ſcriptum eſt, quòd Spiritu S. replebitur ab vtero matris ſuæ: quid de homine Chriſto dicendum eſt, cuius carnis ipſa conceptio non carnalis,ſed ſpiritualis fuit? Tunc ergo,ſcilicet,in baptiſmo ſuo Chriſtus corpus ſuum, id eſt, eccleſiam ſuam præfigurare dignatus eſt, in qua baptizati accipiunt Spiritum ſanctum.Sequitur,

Diſpertitæ linguæ.] Hinc non eſt quòd ineptè ſibi quiſquam perſuadeat ipſas linguas igneas, quæ apparuerunt ſuper Apoſtolos diſpertitę, fuiſſe Spiritum S. cùm illę ſolùm fuerint ſignum Spiritus S. Pręterea nec Spiritus S. apparuit in veris linguis diſpertitis & diuerſis: ſed ſolùm in figura linguarum diſpertitarum & diuerſarum, ſeu in partes diuiſarũ. Nam non erant verę linguæ,nec erat verus ignis,ſed tantùm ſic illis apparebat.

Rogabis fortaſſis, quare Spiritus S. voluerit apparere in figura linguarum diuerſarum? Ad oſtendendum quòd hoc in Apoſtolis Spiritus S. inuiſibiliter operabatur,quod exterius per harum rerum proprietates ſignificabatur. Per linguã autem ſignificatur eruditio & doctrina. Lingua enim docet omnem veritatem.Hinc Ioan.14. Paracletus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia,& ſuggeret vobis omnia,quęcunque dixero vobis.Per linguas autem diſpertitas & diuerſas ſignificatur quòd Spiritus

tus

tus S.docuit Apoſtolos omnes linguas etiam diuerſiſſimas, vt omnibus gentibus annunciare & docere poſſent immenſam Dei magnificentiam. Ipſa igitur ſpecies creaturæ, in qua Spiritusſanctus tunc viſibiliter deſcendit in Apoſtolos, expreſſit in quem vſum deſcenderit. Species enim linguarum expreſſit deſcendiſſe Spiritumſanctum ad largiendam illis ſcientiam. Lingua enim ſcientiam explicat. Species autem linguarum diuerſarum expreſſit deſcendiſſe Spiritumſanctum ad largiendam illis diuerſarum linguarum ſcientiam: quod etiam eis ſtatim præſtitit Spiritusſanctus, quia apertè dicitur quòd cœperunt loqui varijs linguis prout Spiritusſanctus dabat eloqui illis. Quamuis igitur diſperſio linguarum in Babylonica turri facta ſit, Geneſis xj. tamen quod diſperſit ſuperbia, recollegit humilitas. In ſuperbia diſperſio: in humilitate fit concordia: nam propter humilitatem Apoſtolorum linguæ omnes ſunt vnitæ. Sequitur:

tanquàm ignis.] Rectè vbique additum eſt, tanquàm, vt ait Gregorius, ne quid ſenſibile de Spiritu ſuſpicareris: neque enim ignis Deus, neque Deus ſonitus fuit: ſed per hoc quod exterius exhibuit, expreſſit hoc quod interius geſſit. Quia enim diſcipulos & zelo ſuccenſos & verbo eruditos intus reddidit, foris linguas igneas oſtendit. In ſignificatione igitur admota ſunt elementa, vt ignem & ſonitum ſentirent corpora. Igne verò inuiſibili & voce ſine ſonitu intus docerentur corda. Foris ergo fuit ignis qui apparuit, ſed intus qui ſcientiam dedit. Quapropter in ſpecie ignis ſuper Apoſtolos deſcendit Spiritusſanctus, ad oſtendendum feruorem, quo corda eorum erant ad hoc commouenda, vt Chriſtum vbiq; inter preſſuras prędicarent. Quoniam (vt ait Gregorius) exterius apparuerunt linguæ igneæ, & interius ſunt facta corda flammantia. Omnes enim, quos hic implet, ardentes pariter & loquentes facit: ardentes vtique ex ſe, & loquentes de ſe. vnde venit tunc ſuper Apoſtolos in linguis igneis, vt verba ignea loquerentur, & legē igneam linguæ igneæ prædicarēt,

Præterea linguæ illæ diuerſæ apparebant ignitę: quia operationes ignis ſunt ſimiles operationibus Spiritusſancti. Quēadmodum enim nihil potentius igne: igne enim diuerſæ res, etiam metalla & ferrum, vt elaborari poſſint, reguntur, ita quoq; nihil potentius Spiritusſancto datū eſt Apoſtolis. nam

Spirituſſanctus animos noſtros etiam ſi ſint ferro & adamante durioꝛes per ſuam gratiam & charitatem emollit. Sic nimirum, quamuis durum eſſet cor Pauli Chriſtianos perſequētis, multumque ſanguinem Chriſtianorum ſitientis, Actorum 9. tamen pulchrè mitigauit illud gratia Dei, vſque adeò vt vas fieret electionis: & qui prius Chriſtianis perſecutionem intentabat, iam libenter pro Chriſti nomine perſecutionem pateretur: & ad omnia aduerſa toleranda fortis redderetur. nec Spirituſſanctus ſolūmodo Paulum talem efficit, verumetiam omnes Apoſtolos adeò fortes & robuſtos reddidit; vt neminem metuerint. Quapropter ſpecies ignis oſtendit Spiritum ſanctum, tunc eis ad robur datum. Ignis enim teſtam roborat.

Quod autem Apoſtoli habuerint illam animi fortitudinē, qua auſi ſunt aggredi omnia difficilia, eaque ſuſtinere, quamuis anteà metu perculſi à Domino profugerant, & ex ijs vnus ipſum ter abnegauerat, manifeſtum eſt, quia iam interriti, neminemque metuentes, nomen Chriſti Ieſu palàm & in publico prędicauerunt, & cōfeſſi ſunt. Ob id ſcriptura Eſaiæ xj. A, Spiritumſanctum appellat ſpiritum fortitudinis, quòd ſuos in aduerſitatibus confortet. Adeò enim per gratiam Spirituſſancti fortes effecti ſunt, vt quum prohiberentur prędicare Ieſum & eius verbum, fortiter reſpōderint magiſtratibus & principibus, Actorum quinto: Si iuſtum eſt in conſpectu Dei vos potius audire quàm Deum, iudicate: nō enim poſſumus, quæ vidimus & quę audiuimus, non loqui. oportet magis obedire Deo quàm hominibus. Et Petrus qui prius terrebatur ad vocem ancillæ, iam non cedit vniuerſo Iudæorum concilio. Et omnes ſimiliter alij vſque adeò fuerūt fortes, vt cùm propter nomen Ieſu cæſi eſſent, & verberibus afflicti, non ſolùm non fuerint męſti, verumetiam lætati ſint: & exiuerint gaudentes à cōſpectu concilij, quòd digni eſſent habiti pro Chriſto contumeliam pati. Hinc manifeſtū eſt quod Spirituſſanctus largitus eſt illis, in rebus aduerſis patientiam, & in tribulatione
Rom. 8. gaudium, adeò vt dicerent cum Paulo: Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti: tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? Quod non ſolùm verbis dixerunt, verumetiam operibus impleuerunt: nam quamuis nōnulli illorum cæſi, nonnulli decollati, nonnulli ſuſpenſi, nonnulli ſecti, nonnulli excoriati, nonnulli lapidati

pidati, nonnulli alio ſupplicij genere mortui ſint, tamen à Chriſti charitate diuelli non potuerunt: ſed cum gaudio citra mœrorem hæc omnia pro Chriſto pertulerunt. vnde manifeſtum eſt indutos fuiſſe virtute ex alto, qui de tanta puſillaniminitate ſpiritus, ad tantam deuenere conſtantiam. Hinc dicunt doctores, ipſos Apoſtolos in die Pentecoſtes fuiſſe con firmatos, non quidem ſacramento confirmationis, quod non confertur niſi ſub certa materia & verborum forma; ſed alio quodam modo longè ſanctiori quàm ſit huius ſacramenti. Siquidem Deus virtutē ſuam non alligauit ſacramentis. vnde nec Chriſtus vnctus eſt hoc ſacramento, ſed aliam ille habuit vnctionem longè ſubliniorem olei lætitiæ præ cunctis conſortibus ſuis. nam ſuam humanitatem diuinitate habuit auctam. Porrò non ſolùm operationes ignis ſimiles ſunt ope rationibus Spirituſſancti in præſtanda fortitudine: verūetiam in multis alijs rebus. nam ſicut ignis eſt calefacere: ita & Spirituſſancti. Sicut enim ignis calefacit & inflammat ligna: ita quoque Spirituſſanctus calefacit & inflammat corda hominum igne diuini amoris. Et ſicut ignis accendit materiam, ita Spirituſſanctus frigida hominum inflammat corda. Hinc Dominus Lucæ xij. F, Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi vt accendatur, ſcilicet terra, id eſt, cor terrenum.

Præterea ſicut ignis eſt illuminare, ita & Spirituſſancti. nam ſicut igne vtimur ad profligandam terram noctis caliginem; ita quoque Spirituſſanctus mentis noſtræ tenebras pellit, & virtutes coruſcare facit. Rurſus ſicut ignis operatio eſt purgare: ita etiam Spirituſſancti. quia ſicut ignis purgat aurum, ſic quoque Spirituſſanctus animam noſtram purgat à rubigine peccati. Hoc propheta Dauid Pſalmo. 50. petebat dicens: Cor mundum crea in me Deus: quod & Eccleſia pro filijs ſuis petit Pſalmo 130. dum dicit: Emitte ſpiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Sic altiſſimus cor Magdalenæ & aliorum ſanctorum renouauit à malis culpæ.

Deinde ſicut ignis ſuo calore terram vegetat, & velut exhilarat & viuificat, eamque fertilem facit, & in ea germina producit: Ita quoque Spirituſſanctus nos viuificat, & ad opera bona peragenda inflammat.

Denique ſicut flamma ignis mouetur ſurſum: ita nos Spirituſſanctus erigit in ſpem ſupernorum. vt videre eſt in Eze-

chiele quem Spiritus eleuauit inter cælum & terram. Propter hanc cauſam, quia nimirum operationes ignis ſunt eædem cum operationibus Spiritusſancti: ideo per ignem in ſcripturis deſignatur nobis Spiritusſanctus. Hinc Zophonię primo: In igne zeli Domini deuorabitur omnis terra, id eſt, per Spiritumſanctum peribunt terreni affectus. Et Lucæ xij.G, dicit Dominus: Ignem veni mittere in terram: & quid volo, niſi vt accendatur? ſcilicet terra, id eſt, cor terrenum. Et Paulus ad Hebræos xij. Deus noſter ignis conſumens eſt.

Enarrationis Epiſtolæ, feſti Pentecoſtes, CAPVT TERTIVM.

SEdit'que ſuper ſingulos eorum.] ſcilicet vnus radius igneus habens figuram linguę, idque ad ſignificandam inuiſibilem Spiritusſancti gratiam ſigno viſibili exterius apparente, interius receptam, per quam in amore Dei eſſent feruidi, & omnibus linguis ad publicationem Euangelij loquentes. nam idem Spiritus in linguis igneis ſuper vnumquemque diſcipulorum apparens afflauit omnium animis feruorem. Idem ignis accendit omnium linguas & pectora igne diuini amoris, non ad tempus, ſed in perpetuum. nam per verbum ſedit, ſignificat Euangeliſta ſtabilitatem & permanentiam. Dictio enim, ſedit, idē ſignificat quod permanſit & requieuit, et corda eorum gratioſiſſimè ſuis donis adimpleuit. vnde eius requies ſignificatur eſſe in ſanctis. Sequitur:

& repleti ſunt omnes Spiritusſancto.] Omnes, hoc eſt, non tantùm duodecim Apoſtoli, ſed etiā omnes alij, qui erant cum Apoſtolis ſimul congregati: qui omnes ſimul fuiſſe dicuntur numero centum & viginti. vt manifeſtum eſt Actorum primo, C: Vel omnes ſcilicet, qui illius capaces erāt. Sed qui nam erant iſti centum & viginti? nunquid nobiles? non: nam Dominus nō quærit nobilitatē genealogicam corporis, ſed mentis, quæ in virtutibus cōſiſtit. Plurimi enim, qui in genealogia Chriſti extiterūt, quia virtutibus prędit non fuerūt, damnati ſunt. Sed qui ergo fuerunt iſti centum & viginti? nunquid viri potentes & à ſeculo famoſi? minimè gentium. nam Dominus non potentiam elegit, ſed humilitatem & virtutem. Qui ergo fuerunt iſti, quorum hic fit mentio? humi-

les piſcatores & homines quamuis in ſeculo abiecti, tamen virtutibus prediti. Sequitur:

Repleti ſunt Spirituſancto,] non quòd iam primo acceperint Apoſtoli Spiritumſanctum, quia & ante aſcēſionem Dominus dedit eis Spiritumſanctum, dum diceret Ioānis xx. Accipite Spiritumſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Sed dicuntur iam repleti Spirituſancto, quia iam magis copioſè & abundāter quàm prius, receperunt Spiritumſanctum. nam ſua in eis dona iam multiplicauit, auxit, & cumulauit. nec enim vulgariter acceperunt Spiritumſanctum, ſed eo vſque, vt implerentur. Sicut enim imber copioſus magno impetu è cælo deſcendens, vbi nulla ſunt impedimenta, omnes facilè valles replet: ita & Spirituſſanctus propterea tanto cum tumultu & fragore delabitur, ac ſi omnia ſubuerſurus eſſet, vt intelligeremus quàm copioſè et abundanter Apoſtolos, & omnes, qui illius capaces erant, gratia ſua perfuderit. Adeò autem eos repleuit, vt Spirituſſancti gratiam receperint, non ſolùm ad ſufficientiam, verumetiam ad redundantiam: quia ſanctitas, quam Spirituſſanctus in eis operatus eſt, redundauit in totam Eccleſiam. Quod autem tūc fecit Spirituſſanctus viſibiliter: hoc vbi nulla inuenit impedimenta, in hodiernum vſque diem horis omnibus facit inuiſibiliter implēs & perfundens ſine intermiſſione ſuis donis & opulentis chariſmatibus corda omnia, cunctaſque animas, ſecundum quod eas ſui inuenit capaces.

Porrò quàm ſit nobis neceſſarius Spirituſſanctus: ſcriptura ſacra multis in locis nobis apertiſſimè teſtatur. nam non niſi per ipſum adducimur ad Chriſtum: non niſi per ipſum lauamur à peccatis & regeneramur. Hinc Ioannis tertio: niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spirituſancto, non poteſt intrare in regnum Dei. Quare, quod corporaliter nati ſumus, nihil nobis profuerit, niſi denuò ex aqua & Spirituſancto renaſcamur. Deinde non niſi per ipſum diffunditur charitas Dei in cordibus noſtris. Hinc Paulus ad Romanos 5.A, Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritumſanctū, qui datus eſt nobis. Quamobrem ſicut corpus humanum neque viuere neque ſentire neque moueri poteſt, niſi per ſpiritum & animam: ſic interno homini noſtro neque vita, neque ſenſus, neque motus ad bonum eſſe poteſt ſine Spiritu

ſancto. Id quod Eccleſia veriſſimè proteſtatur, dum canit: ſine tuo numine; nihil eſt in lumine; nihil eſt innoxium. Abſque illius enim gratia, diuinaque operatione, nihil eſt boni in homine. In ſumma adeò neceſſarius eſt nobis Spirituſſanctus, vt ſine illo nemo ad Chriſtum pertineat. hinc Paulus ad Romanos 8. Qui Spiritum Chriſti non habet, hic nõ eſt eius. Quare ſine ipſo miſera eſt natura tam angelica quàm humana. non enim ratione ſubſtantiæ differt à diabolo Michaël, A Pharaone Moyſes, A Iuda Petrus: ſed hoc diſcernuntur ſpiritu, quem iſti acceperunt, illi indigni iudicati ſunt. Quapropter, ſi quis ſit, qui nondum adhuc gratiam Spirituſſancti ſuſceperit, maximè dolere merito debet & mœrore confici.

Rogabis, vnde quis hoc deprehendere poſſit? dico quod ex prauis ſuis affectibus & peccatis, ſi non ſentit ſe eorum pœnitudine moueri, ſed in eiſdem perſeuerare. nam talis Spirituſſancti gratiam nondum adeptus eſt. Quamobrem ipſi mirum in modum dolendum eſt. nam ſi præſenti tempore tan-
3. Re. 17 ta ſterilitas eſſet: quanta Heliæ temporibus fuit, quando clauſum erat cælum annis tribus & menſibus ſex, ita vt nec ſeri nec arari poſſet: & poſt illud tempus ſuperueniret copioſa ac frequens pluuia, quæ terram omnem abundè irrigaret, vnius tantùm hominis agro neglecto, & in ſua ſiccitate & ariditate relicto: hoc profectò hominem illum, cuius eſſet ager, graui mœrore afficeret. Quanto magis dolere quiſque debet, ſi hodie gratiam Spirituſſancti, non ſolùm non ſuſceperit, verum etiam in ſuis vicijs perſeuerauerit. nam is, quia obſtaculum Spirituiſancto ponit, ideo eius dona non percipit. Quid autem animi ad ſeruiendum Deo habere poteſt is, cuius anima penitus ſicca & arida eſt? cuius cor ineffabilis amoris & conſolationis expers eſt? nec quicquã cæleſtis gratiæ perceperit?

Conſiderandum itaque nobis eſt quidnam facto opus ſit, vt ſuperdigniſſimo Spirituſancto impleri poſſimus. Omnibus igitur ſanctum Paracletum Spiritum, & larga illius chariſmata ſuſcipere volentibus neceſſarium eſt, vt ab omnibus prauis affectibus & peccatis ſint vacui. Quanto enim amplius ab his ſe quis euacuat, tanto donorum Spirituſſancti capacior erit. Sicuti ſi tu vas aliquod, alia quàm nunc ipſum continet, materia implere velis, omnis prius alia materia euacuanda eſt. Verbi gratia, Si vas aliquod velis implere vi-

no,aqua prius effundenda eſt. Aqua cedat oportet, vbi ignis ſuccedere debet. Et ob id quantum quis huiuſmodi prauis deſiderijs ſeſe euacuat, tantundem gratiæ Spirituſſancti recipere meretur. Quapropter ſi parum ad hoc laborat,ſimiliter parum gratiæ illi infunditur. Qui enim deſiderijs prauis minus vacuus eſt, eo & minus eſt gratiæ Spirituſſancti capax. Econtrariò quantum diuina virtus in nobis creſcit: tantum ſpiritus noſter in ſeipſo deficit, & tunc perfectè in Deo proficimus,quando ex toto noſipſos abnegamus,& Deum vſqueadeò purè intendimus, vt nihil niſi Deum velimus, & deſideremus.

Verùm hic quęſtio eſt, An ergo Spirituſſanctus augeatur, vel minuatur in homine, an magis vel minus habeatur? Si enim in homine augetur, & magis vel minus datur & habetur,mutabilis eſſe videtur. Deus autem omnino immutabilis eſt. Dico quòd Spirituſſanctus penitus immutabilis eſt, nec in ſe augetur,vel minuitur: ſed in homine, vel potius homini augetur, vel minuitur, & magis vel minus datur & habetur. Sicut Deus dicitur magnificari & exaltari in nobis:qui tamen in ſe nec magnificatur nec exaltatur. vnde Propheta Dauid Pſalmo 63. Accedat homo ad cor altum & exaltabitur Deus. ſuper quem locum dicit Caſſiodorus: Deus non in ſe,ſed in corde hominis gratia deficit. Sic ergo Spirituſſanctus homini datur: & datus amplius datur, id eſt, augetur, & magis aut minus habetur, & tamen immutabilis exiſtit.

Qui autem dicunt ipſum Spiritumſanctum, non dari,ſed dona eius dumtaxat,grauiſſimè errant. nam non ſolùm dona Spirituſſancti: ſed & ipſummet Spiritumſanctũ dari,ex quinto capite Epiſtolæ Pauli ad Romanos manifeſtum eſt,vbi ſic habetur: Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritumſanctum,qui datus eſt nobis. Ecce non tantùm charitas datur electis, ſed etiam ipſemet Spirituſſanctus. vnde & donum Spirituſſancti proprium eſt nomen.

Hinc opinatus eſt magiſter in primo ſententiarum diſtinctione xvij.paragrapho,B, quòd charitas qua diligimus Deũ & proximum,non ſit aliquid creatum,ſed dumtaxat ipſemet Spirituſſanctus,qui datur nobis. Sed & hoc erroneum eſt. ſiquidem quòd non ſolum Spirituſſanctus, ſed etiam qualitas aliqua in ſcripturis intelligatur nomine charitatis, oſtendit

Apoſtolus ad Romanos quinto, A, dicens: Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum.

Quamobrem Apoſtoli non ſolùm repleti ſunt Spirituſancto, quia ipſum acceperunt Spiritumſanctum: verumetiam quia donis eius ſunt ditati, chariſmatibus eius ornati, vnctione illius de omnibus docti: in eius imaginem transformati, & in omni bonitate & iuſtitia & veritate & ſanctitate ei aſſimilati.

Pari modo ſpiritus malus quos poſſidet & inhabitat, ſimiles ſibi facit obſtinatos & malos. nam eos replet omni iniquitate, & malitia, inuidia, auaritia, contentione, malignitate: facit eos ſuſurrones, detractores, Deo odibiles, contumelioſos, ſuperbos, elatos, inuentores malorum, parentibus immorigeros, inſipientes, incompoſitos, ſine affectione, abſque miſericordia, ſemetipſos amantes, blaſphemos, voluptatum amatores magis quàm Dei: plenos omni dolo & fallacia. Inimicos omnis iuſtitiæ, ſemper ſubuertentes vias Domini rectas, ſemper veritati reſiſtentes. Sequitur:

Et cœperunt loqui varijs linguis.] Ecce ſignum plenitudinis. Vas plenum erumpit foras: ignis in ſinu occultari non poteſt. Fons hortorum, puteus aquarum viuentium deriuatur foras, & in plateas aquas ſuas diuidit. nam ne puncto quidem temporis, quod erogandum acceperant talentum, abſcondere potuerunt. mox illud ad vſuram poſuerunt, & cooperante gratia Spirituſſancti, hamo prædicationis & cibo verbi Dei verus piſcator hominum Petrus tria hominum millia eodem die cepit: ad littus traxit, & ſaluauit.

Quamobrem res vehemens eſt Spiritus: Res viuida & irrequieta eſt ignis: non dormitant amplius Apoſtoli, quemadmodum dormitabant ante miſſionem Spirituſſancti, non latitant amplius, quemadmodum latitabant poſt Domini paſſionem: proſiliunt in publicum, paſſim ac palam omnibus gratuitam per fidem in Ieſum paulò antè crucifixum, prædicant ſalutem.

Cæterùm vetuſti codices hîc habent (alijs linguis) conſentientes cum Græcorum exemplaribus, in quibus eſt *ἑτέραις γλώσσαις*. ſed tamen Latinus interpres melius expreſſit ſenſum, dicẽs: cœperunt loqui varijs linguis, adeò vt non ſolùm ſua vernacula ſcilicet Hebræa lingua loquerentur, ſed etiam omnium

omnium gentium linguis. Hinc Sapientiæ primo: Spiritus Domini repleuit orbem terrarum,& hoc quod continet omnia (id eſt, homo conuenientiam habens cum omni creatura: vel propter quem facta eſt omnis creatura) ſcientiam habet vocis, id eſt, linguarum. Ac ſi diceretur: Spiritus Domini repleuit orbem terrarum,& dedit Apoſtolis ſcientiam linguarum, ne videlicet per mundum euntes interpretibus indigerent.

Chriſtus igitur ad dexteram Patris reſidens, hodierna die diſcipulis dona largitus eſt, non auri talenta, non argenti metalla, ſed Spiritusſancti cæleſtia munera: vt inter cætera Apoſtoli etiam peregrinis,& non ſolùm paternis loquerentur linguis. Hoc eſt, vt Hebræę nationis homo Chriſti gloriam Romanæ facundiæ eloquentia pertonaret: & redemptionem generis humani peregrinæ aures propria loquela cognoſcerent. Et hoc miraculum magnum, vt ſermo ab ijs, qui non didicerant, pronunciaretur: & omnis lingua in prędicatione Chriſti reſolueretur: & maieſtatem eius omnis loquela fateretur. vt ait Pſalmiſta Pſalmo 18. Non ſunt loquelæ, neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum.

Sed dicet quis: poterat facere Deus vt diſcipuli eius vnam linguam loquentes ab omnibus intelligerentur. Quid ergo opus erat vt Apoſtoli variarum ſcientiã haberent linguarum? quia alioqui nec loqui nec intelligere potuiſſent, quę ab alijs dicta fuiſſent. Si enim ſolam Hebraicam, qua vſi fuiſſent, linguam ſciuiſſent: & hanc omnes auditores intellexiſſent: tunc ipſi diſcipuli, quæ ab alijs dicta fuiſſent, non intellexiſſent. Et ob id eis variarum linguarum cognitione opus erat.

Porrò in Babylone etiã cœperunt loqui varijs linguis, ſed hoc propterea, vt vnus non intelligeret alterum. hîc verò varijs loquebãtur linguis, vt ab omnibus etiam diuerſarum linguarum intelligerentur hominibus. Quapropter qui turrim Babylonicam ędificabãt, propter varietatem linguarũ coacti ſunt opus ſuum intermittere: quia ibi vir non intellexit proximum ſuum. Hi verò qui ædificabant Eccleſiæ fabricam, quia omnium linguarum cognitionem habentes, omnes intellexerunt,& viciſſim ab omnibus intelligebãtur, opus ſuum perficere potuerunt. Sequitur:

Prout Spiritusſanctus dabat eloqui illis.] Vbi Græcus

 textus

textus ſic habet: Καθὼς τὸ πνεῦμα ἐδίδου αὐτοῖς ἀποφθέγγεσθαι, hoc eſt, quemadmodum Spirituſſanctus dabat illis ſcitè & diſertè loqui. hoc verbo ἀποφθέγγομαι vtitur Lucas, indicans apophthegmata, ac velut oracula eſſe, quæ ab illis dicebãtur, neque enim quidlibet garriebant, ſed admiranda quædam loquebantur. Anteà diſputabant de panibus omiſſis, de regno Iſraelitico proferendo, de primo conſeſſu, de principatu. Hæc erat humana lingua, nondum idonea ad prędicandum Euangelium, nihil iſtiuſmodi nunc loquuntur: ſpiritualia, cæleſtia, ignea ſunt omnia, quæ ſpirant, quæq́; loquuntur: nam varijs loquũtur linguis, non de obtinenda huius ſeculi ſublimitate, neque de rebus fluxis & caducis, ſed cęleſtibus & perpetuò duraturis. At verò dum de his loquuntur, varijs linguis vtuntur, non ad aucupandam inanem gloriam, ſed ad aliorum ædificationem. Loquuntur enim quemadmodum Spirituſſanctus volebat eos loqui.

Multi autem hodie ſcientiã habent linguarum, ſed ijs plerunq. abutuntur ad inanem gloriam: nimirùm vt ſe ali.s laudandos exponant. Sunt & alij qui plures diſcunt linguas, non vt rei publicæ proſint, ſed vt de hoſpitibus peregrinis prędam facere poſſint. Sunt rurſus alij præcedentibus deteriores, qui quum linguarum cognitione alios præcellant, non aperiunt tamen obſcura, ſed inuoluunt aperta: veritatem peruertunt, & omnia ad defendendas ſuas hæreticas opiniones interpretantur. Quapropter multi loquũtur varijs linguis, qui tamen Spirituſancto carent, quiq́ue illis loquuntur, non quemadmodum Spirituſſanctus dat illis loqui, neque ad aliorum ædificationẽ, ſed potius ad eorundẽ deprauationẽ. Verùm horum friget lingua, nec quenquam afficit quantumuis erudita, quãtumuis diſerta, non niſi Spiritus cęleſtis vocem edit cęleſtem: non niſi ignea animos auditorum rapit & inflammat lingua. Donum hoc è cælis proficiſcitur, donum hoc nec homo dare poteſt homini, nec ſibi quiſquam partitur, ſed Deus impartit vnicuique, ſicut ipſi viſum fuerit. Cui copioſius impartierit, is non habet cur alterum deſpiciat, ſed habet cur alacrius prodeſſe multis debeat.

Cæterùm non eſt quod quis exiſtimet ob id ſe Spiritumſanctum non habere, quia varijs loqui nõ poteſt linguis. nam quemadmodũ multi varijs loquuntur linguis, qui tamen Spiritu

rituſancto carent: ita ediuerſo multi dono linguarum carēt, qui tamen Spirituſancto repleti ſunt. Quod autem Apoſtoli potius quàm alij per gratiam Spirituſſancti donum linguarum ſunt cōſequuti,hoc factum eſt propter communem,quæ ab ipſis dependebat, Eccleſiæ vtilitatem.

Enarrationis Epiſtolæ, feſti Pentecoſtes, CAPVT QVARTVM.

ERant autem in Ieruſalem habitantes Iudæi, viri religioſi,] Viri autem hic nominantur religioſi,qui in cultu diuino ſunt deuoti,quales erant hi de quibus hîc fit mentio. Hi enim quamuis è tam multis aduenıſſent nationibus: tamen & patria,& domo & cognatis relictis habitabant illic, vt templum viſitarent,& in eo ſacrificia offerrent. Sequitur:

ex omni natione quæ ſub cælo eſt.] Hoc per hyperbolen dictum eſt.Quia non abſolutè ex omnibus mundi prouincijs, ſed ex multis & valde diuerſis quidam Iudæi Ieruſalem confluxerant,& ex deuotione ibi manebāt.Ibi enim tanquàm in vrbe præcipua templum Domini extitit,in quo cultus Deo quotidie exhibebatur. Hi autem ex eorum erant poſteritate, quos Aſſyrij,& Chaldęi, & Græci quoque per diuerſa vendiderant atque diſperſerant loca: vnde capitulo tertio libri Heſter refertur,quod in diuerſis regis Aſſueri prouincijs plurimi morabantur Iudæi:qui quamuis à Cyro rege Perſarum habuerint redeundi copiam,tamen redire noluerunt. Sequitur:

Facta autem hac voce.] Quidam per hāc vocem factam intelligunt ſonum præfatum, tanquàm aduenientis ſpiritus vehementis. nam propterea inquiunt, tam repentinus & violentus ſonus factus eſt,vt ſubita conſternatione & magis excitaret, & omnes ad concurrendum impelleret. vnde dicunt quòd propter hunc ſonum ab habitatoribus Ieruſalem circa templum auditum, mox illuc ſeſe receperunt. Id enim quod fiebat,in domo gerebatur,& ob id meritò qui foris erant concurrebant. Alij autem per hanc vocem factā intelligunt Apoſtolorum locutionem, qua tam mirabiliter ceperunt loqui varijs linguis. Verùm nos vtroque intelligimus modo. nam vtrunque cauſa extitit conuentus hominum.hinc ſequitur:

conuenit multitudo.) quia tanta Dei magnalia, tot & tantos

tantos teſtes poſtulabant: quamuis enim regum tegenda ſint arcana: tamen proferenda atque prædicanda paſſim ſunt Dei magnalia. Sequitur:

& mente confuſa eſt.] id eſt, plurimùm admirata & conturbata. Eſt enim ſermo de confuſione non erubeſcentiæ, ſed ignotæ & repentinæ rei nouæ. Sequitur:

Quoniam audiebat vnuſquiſque lingua ſua illos loquentes.] Sed quomodo hoc fieri potuit, cùm tamen non potuerit niſi vnus in conuentu tantæ multitudinis tacentibus ceteris ſermonem proferre, nec tam exiguo tẽpore loqui omnium præſentium linguis? Erant enim plurimi diuerſiſſimarum linguarum homines. Si hoc fieri nõ potuerit, quomodo ergo verum eſt, quod vnuſquiſque audiebat linguam ſuã, in qua natus erat? Dico hoc ſic factum eſſe, quia dum vnus Apoſtolorum vnum aliquod idioma loqueretur, ab omnibus qui aderãt, intelligebatur, non ſecus ac ſi proprijs ſingulorum linguis fuiſſet locutus: adeò vt omnes etiam diuerſiſſimarũ linguarum homines hîc vnum aliquod idioma intellexerint, & vnicuiq; quaſi propriũ illud inſonuerit. nam alioqui quando Aelamitis lingua Aelamitica fuiſſet locutus, neſciſſent ceteri quid ille dixiſſet: Deinde quando Græcis græcè, ignoraſſent alij, quid Apoſtolus voluiſſet, & ſic de cęteris, quod videtur eſſe abſurdũ. nam multo tẽpore expectare debuiſſent iam hi, iam illi, antequàm Apoſtolus, qui loquebatur aliquid dixiſſet, quod ipſi intellexiſſent. Quod admodũ moleſtum fuiſſet. Quapropter, Apoſtoli non ſolùm hoc priuilegio ſunt dotati, vt varijs loquerentur linguis: verumetiam illud priuilegium ſunt aſſecuti, vt quacunque illi loquerentur lingua, ab omnibus qui aderant, etiam diuerſiſſimarum linguarum exiſtentibus, intelligerentur. nam ea quæ vnica græca vel quapiã alia Apoſtoli dicebant lingua, pro ſua quiſque audientium lingua intellexit. Cuius ſimilitudo pręceſſit in manna, quod licet in ſua natura non niſi vnum ſaporem habuerit: tamen vnicuiq; filiorum Iſrael fideli & bono, vt volebat, ſapuit. vnde conſtat quòd quemadmodum vnitas linguæ in Babylone per ſuperbiam in multitudinem eſt diſſecta: ita quoque hîc multitudo linguarum humilitate duce in vnitatem eſt redacta.

Quamobrem qui contra Deum turrim ædificare conati ſunt: communionem vnius linguæ perdiderunt. In his autem

qui

qui Deum humiliter metuebāt, linguæ omnes vnitæ ſunt. Ibi enim vna lingua in plures diuiſa: hic plures linguæ in vnum collectæ. nec hoc mirum: quoniam illi ædificare voluerunt turrim Babylonicam: hi verò Eccleſiæ fabricam. Illi nomen ſuum celebrare voluerūt, hi nomen Chriſti. nam turrim hanc non humano conſilio, ſed inſtinctu Spiritusſancti non ex lateribus luteis, ſed lapidibus viuis & electis conſtruere Apoſtolis animus erat. Et idcircò illic ſuperbia infamiam & confuſionem meruit: hîc humilitas potentiam & virtutem. Quam autem illi confuſionem paſſi ſint: hi verò virtutem adepti; iam accipite. Ibi vir non intellexit proximum ſuum: hic ab omnibus intelligebātur Apoſtoli. Ibi ab vno loco in plura diſperſi ſunt per vniuerſam terram: hic à toto orbe in vnum congregati ſunt. Illorum opus intermiſſum eſt & impeditū: horum verò perfectum & completum. Ibi vocatum eſt nomen loci Babel, id eſt, confuſio, quia ibi confuſum eſt labium vniuerſæ terræ: hic mons Sion, id eſt, mons Eccleſiæ ſpeculantis Deum per fidem, vt poſtea eum contēpletur per ſpeciem. Hinc vides quam illi confuſionem, hi verò virtutē adepti ſint. Sequitur:

Stupebant autem omnes & mirabantur.] non tam quòd Apoſtoli loquebantur varijs linguis, quàm quòd oſtendebant ſe omnia Prophetarum oracula & omnia Dei intelligere magnalia, idque magis quàm illi, qui diutiſſimè ſacræ operam dederant ſcripturæ. Habebant enim ad manum & in promptum omnium prophetarum expoſitionem, eorumque expoſitionem. Sequitur:

dicentes, Nonne ecce omnes iſti qui loquuntur, Galilæi ſunt?) Quaſi dicant: vtique ſic eſt.

& quomodo nos audiuimus vnuſquiſque linguam noſtram, in qua nati ſumus?) Id eſt: linguam nobis natiuam & propriam. Sequitur;

Parthi & Medi, & Aelamitæ.] id eſt, Iudæi ex regione nomine Aelam. Aelamitæ autem ſunt Perſæ, ab Aelam filio Sem nominati. Sequitur:

& qui habitabant Meſopotamiam, Iudæam.] Iudæa hîc ſumitur pro terra duarum tribuū, nimirum Iudæ & Beniamin, ad diſtinctionem (vt ait Beda) Samariæ, Galilææ, Decapoleos, & aliarum in eadem prouincia regionum: quæ omnes, quamuis vna loquerētur lingua Hebræa, tamen in modo

tantos teſtes poſtulabant: quamuis enim regum tegenda ſint arcana: tamen proferenda atque prædicanda paſſim ſunt Dei magnalia. Sequitur:

& mente confuſa eſt.] id eſt, plurimùm admirata & conturbata. Eſt enim ſermo de confuſione non erubeſcentiæ, ſed ignotæ & repentinæ rei nouæ. Sequitur:

Quoniam audiebat vnuſquiſque lingua ſua illos loquentes.] Sed quomodo hoc fieri potuit, cùm tamen non potuerit niſi vnus in conuentu tantæ multitudinis tacentibus ceteris ſermonem proferre, nec tam exiguo tẽpore loqui omnium præſentium linguis? Erant enim plurimi diuerſiſſimarum linguarum homines. Si hoc fieri nõ potuerit, quomodo ergo verum eſt, quod vnuſquiſque audiebat linguam ſuã, in qua natus erat? Dico hoc ſic factum eſſe, quia dum vnus Apoſtolorum vnum aliquod idioma loqueretur, ab omnibus qui aderãt, intelligebatur, non ſecus ac ſi proprijs ſingulorum linguis fuiſſet locutus: adeò vt omnes etiam diuerſiſſimarũ linguarum homines hîc vnum aliquod idioma intellexerint, & vnicuiq; quaſi propriũ illud inſonuerit. nam alioqui quando Aelamitis lingua Aelamitica fuiſſet locutus, neſciſſent ceteri quid ille dixiſſet: Deinde quando Græcis græcè, ignoraſſent alij, quid Apoſtolus voluiſſet, & ſic de cęteris, quod videtur eſſe abſurdũ. nam multo tẽpore expectare debuiſſent iam hi, iam illi, antequàm Apoſtolus, qui loquebatur aliquid dixiſſet, quod ipſi intellexiſſent. Quod admodũ moleſtum fuiſſet. Quapropter Apoſtoli non ſolùm hoc priuilegio ſunt dotati, vt varijs loquerentur linguis: verumetiam illud priuilegium ſunt aſſecuti, vt quacunqne illi loquerentur lingua, ab omnibus qui aderanr, etiam diuerſiſſimarum linguarum exiſtentibus, intelligerentur. nam ea quæ vnica græca vel quapiã alia Apoſtoli dicebant lingua, pro ſua quiſque audientium lingua intellexit. Cuius ſimilitudo pręceſſit in manna, quod licet in ſua natura non niſi vnum ſaporem habuerit: tamen vnicuiq; filiorum Iſrael fideli & bono, vt volebat, ſapuit. vnde conſtat quòd quemadmodum vnitas linguæ in Babylone per ſuperbiam in multitudinem eſt diſſecta: ita quoque hîc multitudo linguarum humilitate duce in vnitatem eſt redacta.

Quamobrem qui contra Deum turrim ædificare conati ſunt: communionem vnius linguæ perdiderunt. In his autem qui

qui Deum humiliter metuebāt,linguæ omnes vnitæ ſunt.Ibi enim vna lingua in plures diuiſa: hic plures linguæ in vnum collectæ. nec hoc mirum: quoniam illi ædificare voluerunt turrim Babylonicam: hi verò Eccleſiæ fabricam. Illi nomen ſuum celebrare voluerūt,hi nomen Chriſti. nam turrim hanc non humano conſilio, ſed inſtinctu Spiritusſancti non ex lateribus luteis,ſed lapidibus viuis & electis conſtruere Apoſtolis animus erat.Et idcircò illic ſuperbia infamiam & confuſionem meruit:hîc humilitas potentiam & virtutem. Quam autem illi confuſionem paſſi ſint:hi verò virtutem adepti;iam accipite. Ibi vir non intellexit proximum ſuum: hic ab omnibus intelligebātur Apoſtoli. Ibi ab vno loco in plura diſperſi ſunt per vniuerſam terram:hîc à toto orbe in vnum congregati ſunt. Illorum opus intermiſſum eſt & impeditū: horum verò perfectum & completum. Ibi vocatum eſt nomen loci Babel,id eſt,confuſio,quia ibi confuſum eſt labium vniuerſæ terræ: hîc mons Sion,id eſt,mons Eccleſiæ ſpeculantis Deum per fidem,vt poſtea eum contēpletur per ſpeciem.Hinc vides quam illi confuſionem,hi verò virtutē adepti ſint. Sequitur:

Stupebant autem omnes & mirabantur.] non tam quòd Apoſtoli loquebantur varijs linguis,quàm quòd oſtendebant ſe omnia Prophetarum oracula & omnia Dei intelligere magnalia, idque magis quàm illi, qui diutiſſimè ſacræ operam dederant ſcripturæ. Habebant enim ad manum & in promptum omnium prophetarum expoſitionem, eorumque expoſitionem. Sequitur:

dicentes,Nónne ecce omnes iſti qui loquuntur,Galilæi ſunt?) Quaſi dicant: vtique ſic eſt.

& quomodo nos audiuimus vnuſquiſque linguam noſtram,in qua nati ſumus?) Id eſt: linguam nobis natiuam & propriam. Sequitur;

Parthi & Medi, & Aelamitæ.] id eſt,Iudæi ex regione nomine Aelam. Aelamitæ autem ſunt Perſæ, ab Aelam filio Sem nominati. Sequitur:

& qui habitabant Meſopotamiam, Iudæam.] Iudæa hîc ſumitur pro terra duarum tribuū, nimirum Iudæ & Beniamin,ad diſtinctionem (vt ait Beda) Samariæ,Galilçæ, Decapoleos,& aliarum in eadem prouincia regionum:quæ omnes,quamuis vna loquerētur lingua Hebræa,tamen in modo

loquendi

loquendi aliqualiter differebant, & domeſticam ſinguli dicendi ſpeciem habuerũt diſtinctam. vnde & Petrus in paſſione Domini, quod Galilæus ſit, loquela ſua proditur. Sequitur:

& Cappadociam, Pontum & Aſiam, Phrygiam & Pamphiliam.] hoc eſt, Iudæi ex Cappadocia, Iudæi ex Ponto, & Iudæi ex Aſia &c. Phrygia autem, & Pamphilia ſunt prouinciæ Aſiæ minoris. Sequitur:

Aegyptum & partes Lybiæ, quæ eſt circa Cyrenen.] Lybia regio eſt circa Aegyptum, & protenditur vſque ad Cyrenen. Sequitur:

& aduenæ Romani.] hoc eſt, Iudæi qui erant nati Romę, & de Italia Hieruſalem venerant. dixerunt enim (& quomodo nos audiuimus vnuſquiſque linguam noſtram, in qua nati ſumus) ſignificantes ſe alibi quàm Hieroſolymis natos. Sequitur:

Iudæi quoque.] ſcilicet natura, id eſt, illi de tribu Iuda. niſi autem in modo loquendi fuiſſet differentia inter Iudęos, (hoc eſt, eos, qui erant de tribu Iuda) & habitatores Iudææ, qui ex alijs erant tribubus: non diſtinxiſſet Lucas inter habitatores Iudææ & Iudæos. Quamobrem dixit hoc, vt intelligeremus, quod Spiritusſanctus, non ſolùm diuerſa totaliter idiomata, ſed etiam diuerſos accentus, modosq́ue proprios loquendi etiam ſub eadem lingua tribuebat Apoſtolis. propter hanc enim rationem diſtinxit inter Iudæos & habitantes Iudæam. Sequitur:

& Proſelyti.] Proſelytus non eſt certæ nationis nomen: ſed per Proſelytos ſignificantur conuerſi de Gentilitate ad Iudaiſmũ. ſicut enim in nouo Teſtamento vocantur Neophyti, qui de infidelitate ad legem Euangelicam de nouo conuerſi ſunt: ita quoque in veteri Teſtamento dicebantur Proſelyti, qui de Gentilitate ad legem conuertebantur Moſaicam: & qui de Gentibus originem ducentes, circuncifionem & Iudaiſmum eligere quàm in ſua gentilitate manere eligebant: ſicut Achior feciſſe in libro Iudith narratur, vnde incertę ſunt nationes Proſelytorum. Sequitur:

Cretes.] Id eſt, Iudæi ex Creta inſula Græciæ, quæ hodie dicitur Candia. Sequitur:

& Arabes.] Id eſt, Iudæi in Arabia nati. Arabia autem plurimas

plurimas continet gentes, Moabitas, Ammonitas, Idumæos, Saracenos, pluresque alias. Sequitur:

audiuimus eos loquentes noſtris linguis magnalia Dei.] non varias philoſophorū opiniones, ſed oracula Prophetarum; quomodo Deus per Chriſti paſſionem mundum redemiſſet: quomodo Chriſtus tertia die à mortuis reſurrexiſſet: quomodo cum eis quadraginta diebus conuerſatus in cælum aſcendiſſet: quomodo eodem die, quo Apoſtoli loquebantur eis, paracletum miſiſſet, &c.

FINIS.

EXCVDEBAT CHRISTOPHORVS PLANTINVS ANTVERPIÆ, ANNO M. D. LXIIII. XI. CALEND. IANVARII.